



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Quos vsus praebeant Ideae. Cap. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

malum, ut malum, est non ens, & recessus ab ente, & propterea non intelligibile; cognoscitur tamen per Ideam entis, à quo recedit; indiuidua cognoscuntur per Ideam speciei: ut enim per Ideam vnam speciei multa indiuidua gignuntur, ita etiam per Ideam vnam singula cognoscuntur. Ideo rectè dicebat Simpl. in 2. de anima oculum per vnam albedinis rationem iudicare albedines omnes. Materia demum intelligibilis non est, cum non sit forma; cognoscitur tamen à diuina mente per id, quod in ea modus materiæ, & infinitum esse dicitur: Insuper cognoscitur per notitiam Idearum, quarum participationis est sinus, vel locus. Ideo rectè Aristoteles quoque asserit, materiam per se non esse natam intelligi.

Quos usus præbeant Ideæ.

CAP. X.

IT præclaræ, & eminentissimæ sunt Ideæ; ita plurimas, & eximias præbent utilitates: quæ omnes in tres gradus distribuuntur. Primus pertinet ad mentem, secundus ad ordinem rerum, postremus ad hominem. Si ad primum conuertimur, conducunt Ideæ ad mentis cognitionem, & functiones munerum eius. Mens enim in se conuersa, per Ideas cognoscit omnia; cognoscens producit, productaque etrat, & seruat: demptis Ideis, nec de cognitione diuinæ mentis, nec de rerum ab ea dependentia,

zia, nec de prouidentia rectè sentire valemus; vt Epicuro, & Peripateticis contigit. Dum cōsideramus utilitates pertinentes ad secundum gradum, inueniemus fatum, & leges ab Ideis duci: cū enim in natura sit constans, & certus ordo, non casu ei conueniens; debet ab ordine aliquo primo, firmo, & constanti pendere; huiusmodi est ordo Idearum in prima mente. Insuper conferunt Ideæ ad nexum rerum pendētium ab eis; ad ascensum, & descensum graduum naturæ; ac consequenter ad antipathiam, & sympathiam partium Mundi; quæ non sine illustri admiratione à nobis frequenter cōspicitur; ex qua sympathia ducit ortum Magia naturalis, apud Ægyptios, priscosque omnes sapientes summopere commendata. Præterea conferunt Ideæ ad rerum generationem: non enim semina gignerēt animalia, nisi vim formandi includerent; eam non includerent, nisi reciperent ab anima; ab anima eas recipere non possent, nisi in ea continerentur; non continerentur, nisi eas reciperet à mente munere Idearum, mens demum ab ipso vno Idearum capite. Accedit, quòd initia rerū moralium prima debent esse æterna, alioquin nō essent initia; non autem darentur propria rerum principia æterna, nisi darentur Ideæ. Insuper conducunt Ideæ, vt res, quæ in materia sunt vimbæ, alicubi verè sint; quæ in materia fluunt, alicubi firmæ permaneant; quæ cum corpore solū sunt sensibiles, alicubi sint in-

telligibiles; quæ cum materia carent perfectio-
 ne, per aliquid absoluantur, & perficiantur.
 Demum si ad tertium gradum, nempe ad ho-
 minem conuertimur, plurimas ex Ideis in eo
 refulgere utilitates conspiciemus: conducunt
 enim ad eius scientiam, vt in proprio loco ap-
 parebit; nec valeret homo intelligendo attingere
 essentias rerum, nisi in eius anima per ra-
 tiones Ideis respondentes essent insertæ; sen-
 sibus enim sola externa accidentia offerun-
 tur. Arist. censet per sola vniuersalia, quæ sunt
 communes notiones, posse acquiri scientias.
 Plato eas communes notiones non reuit,
 immò necessarias iudicat pro scientia rerum;
 in eis tamen nō scientiam, sed opinionem po-
 tius positam esse affirmat: nisi enim anima per
 rationes ad Ideas eleuetur, & cum mente iun-
 gatur; nec propriè scire, nec intelligere dici-
 tur; sed solum rectè, vel perperam opinari. Ex
 quo nexu animæ cum mente, & Ideis pendet
 quòd homo contemplationi deditus, domi-
 natur, & imperat corpori, ne dum suo, verum
 etiam cæterorum natura constantium. De-
 mum ex rationum, Idearumque serie, ortum
 in homine ducit Diuinitio, & Prophetia: ad-
 eò, vt mirum videri non debeat, quòd dici-
 tur à Plotino, intellectum contemplantis ho-
 minis, quamuis videatur esse in Oriente,
 tamen conspiciere posse ea, quæ fiunt in Oc-
 cidente; & cum sit in vno loco, mirabiliter o-
 perari posse in alio plurimum distante; ac in-
 super

super sua cogitatione alios mouere. Homo enim, dum verè contemplatur, iungitur cum suo principio, in eoque per animam reperitur; in quo non distant, sed eminenter iuncta sunt ea, quæ apud nos distare videntur: adeo, vt per causas ea videat, quæ aliis in effectis conspiciere vix datum est.

An Aristoteles in disputatione de Ideis, cum Platone debeat conciliari.

CAP. XI.

Simplicius, Theophrastus, Priscianus, Lydus, Boetius, Ioannes Picus, & alij nonnulli viri celebres inquit, Arist. à Platone de Ideis loquente re vera nō dissentire; sed solū esse littem in verbis: quatenus Arist. vel disputat cōtra fatuam de Ideis sententiam, quòd Ideæ sint formæ rerum naturalium abiunctæ, & seorsum à mente per se subsistentes: vel quatenus, quas Plato censet posse dici Ideas, & eodem nomine cum participantibus designari; Arist. magis ad terminorū proprietates respiciens, eodem nomine appellandas non censet; solum enim leonem nuncupat illum, qui ex carnibus, & ossibus constans, pelle, & pilis tegitur. Re vera tamen cōuenire eos affirmat; quoniam eminens cōtinentia Peripateticorū, nil aliud est, nisi Idealis mundus Academicorum. Rem hanc ita sese habere, ex eo confirmari potest; quoniam fundamētum Idearum